



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 82. Olivarii Cancellarii obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](http://urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

**Sæcul. XVI.** occasione Guisius Dux Regipræstis et,  
**A C 1560.** obsequia deprædicarent, atque ea de

caussa a Parisiensi Senatu gloriosum Pa-  
 triæ Conservatoris titulum ei esse attribu-  
 tum scirent: simul etiam Gubernatori-  
 bus præceptum, ut nullum omni-  
 no Calvinistarum conventiculum sub  
 quocunque prætextu fieri permitte-  
 rent.

### §. LXXXII.

#### *Olivarii Cancellarii obitus.*

**Bolcar. com.** Sub idem tempus Olivarius Regni Can-  
*l. 28. n. 57.* cellarius die trigesima Martii Anno

Christi millesimo quingentesimo sexa-  
 gesimo Ambasie fatis cessit, ejusque  
 corpus Parisios delatum in Ecclesia S.  
 Germani Antissiodorensis prope Patris  
 sui tumulum terræ mandatum fuit. Hic  
 vir erat sermonis eloquentia, judicij ma-  
 tiritate, atque animi sinceritate præ-  
 stans, semperque se amicis suis fidelem,  
 Regi, ac Patriæ suæ fide nunquam vio-  
 lenta addictum, atque fortitudine in-  
 signem exhibebat. Anno Christi mille-  
 simo quingentesimo quadragesimo quin-  
 to regnante Francisco I. regio diploma-  
 te die decima octava Aprilis Remoren-  
 tini edito Cancellarius nominabatur,  
 mortuo autem Francisco Rege ab Hen-  
 rico II. ejus Filio ex Valentinæ Ducis-  
 sæ consilio regii sigilli custodia spolia-  
 tur,

tur, quæsito obtentu, quod eum ad-  
versa valetudine pressum a tanto onere  
eximere oporteret; quo etiam tempore  
paralyfi corripiebatur, a qua tamen li-  
beratus, nimis præpropere cum muneris  
sui exercitia resumeret, viscoso humo-  
re oculos obsidente vix non aspectum  
amiserat, quapropter suo fæse abdica-  
bat officio, jura tamen, honoresque ei-  
dem annexos sibi reservabat, obtento  
Regis diplomate Camboriti die secunda  
Januarii Anno salutis nostræ millesimo  
quingentesimo quinquagesimo primo:  
postmodum vero ad sua fæse recepit, sed  
Anno Incarnationis Dominicæ millesi-  
mo quingentesimo quinquagesimo nono  
a Francisco II. revocatus denuo officii sui  
munia obire cogebatur. Porro Calvi-  
nistæ sparserunt, quod Olivarius ex  
mœrore animi expiraverit, ægerrime  
ferens, quod hujus sectæ fautores tam  
sævis suppliciis e medio tollerentur. Hu-  
jus viri dignitas postea defereba-  
tur Joanni Morvillerio Aurelianensi Epi-  
scopo, viro animi moderatione, ac pru-  
dentia clarissimo, eo autem id mune-  
ris recusante Michael Hospitalius obscu-  
ris quidem natalibus ortus, sed ingenii  
acie, ac uberrima eruditione, necnon  
eminenti virtute prædictus subrogaba-  
tur, qui hoc officium ad Mompenserii  
Ducissæ Reginæ Matri in paucis caræ  
preces

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

**Sæcul. XVI.** preces obtainuit, quamvis ob proprii  
**A.C. 1560** meriti eminentiam ad subeundam hanc

dignitatem nemo alius eo dignior vide-  
 ret, nihilominus, cum haud ignora-  
 ret, quod Joannes Bertrandus Cardi-  
 nal is tum Romæ agens Pro-Cancella-  
 rii munus ea duntaxat lege abdicavit,  
 ut Olivario prius decedenti ipse in hac  
 dignitate succederet, hinc Magistratum  
 ingredi, officiumque suum exercere de-  
 trectabat, nisi prius Cardinalis juri suo  
 per Curiæ decretum obtento cessisset.

### §. LXXXIII.

#### *Condæus Princeps, & Colinii Aula excedentes.*

*Thuan. l.c.* Sub idem tempus Colinii aula disce-  
 dunt Guisiorum potentiam veriti,  
 quibus aliunde Castillionæus Praefectus  
 in privatis cum Regina Matre colloquiis  
 sese infestum nimis libere ostenderat:  
 cum vero ille abeundi veniam peteret,  
 jussus est in Normanniam proficisci, &  
 tumultibus in ea Provincia sedandis o-  
 peram dare, deque seditionis motæ cau-  
 sis cognoscere, remque ad Reginam fi-  
 deliter perscribere. Ergo Castillionæus  
 nulla mora discedit, ejusque exemplum  
 ambo illius fratres sequuntur, simulque  
 Condæus Princeps, cum externam Gui-  
 si Duci amicitiam sibi suspectam habe-  
 ret,